



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XXXIX. Vtrùm illæ tres personæ essent vnus homo, an tres?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

§. Thom. 9. vt oppositum fieri conentur. Disputabat Anselmus cum haretico censente non posse incarnari personam vnā, quin ceteræ duæ etiam incarnarentur. Anselmus autem ait id tam falsum esse, vt sit impossibile omnes simul incarnari. Nisi fortè intelligatur de potentia communi absque nouo miraculo.

§. 5. Ait P. Valentia cum Caietano, naturam non fatiari intensiue & extensiue supposito diuino, sicut humano. Egregia petitio principij: cur non fatiatur: vel quid est fatiari extensiue, nisi non admittere aliud suppositum? at hoc in controuersiam reuoco. Dicit P. Vasquez supposita diuina esse diuersæ rationis. Contrā: Item vnū humanū, & aliud diuinum, vel angelicum. Si autem natura vno supposito est expleta, non dat locum alij, sicut per te calor productus à luce non dat locum, vt simul producat à calore.

§. 6. Dicit P. Suarez naturam supposito humano esse in se, diuino autem esse in alio: repugnat autem esse in se, & in alio, non tamen in duobus alijs. Contrā: Esse in se, vel per se, nihil est nisi esse cum supposito sibi debito, & cum proprio complemento, ab illoque pendere à posteriori: esse autem in alio, est habere complementum non debi-

tum, illique vniri, & ab eo aliquo modo pendere actu, vel potentia: at de hac eadem re est controuersia, cur non poterit perfici proprio & alieno complemento? & pendere à proprio, & ab alieno supposito? vel actu dependere à proprio; ab alieno autem non actu, sed potentia? quia alienum non est actu necessarium ex suppositione naturalis suppositi; pro quo tamen est aptum subrogari. Sicut per duas vocationes potest esse, & in hoc gymnasio, & extra illud. Negetur igitur antecedens, vel admittatur consequentia. Recognosce disputationem 11. Metaphys. §. 86. de quo recidet sermo disp. 44.

§. 7. Tertio argumentatur: quia Patri conuenient prædicata Filij per communicationem idiomatum. Id negatur. quia Patri conuenient communia Filio, quæ tunc essent prædicata naturæ diuinæ & naturæ humanæ: esset enim Pater Deus & homo sicut Filius: prædicata verò conuenientia vni personæ ratione personalitatis, non conuenient alij, quia in ea nullam haberent vnionem: cum ergo vniones singulæ essent ad hypostasas, vt sunt propriæ, & non aliquid commune, prædicata Patri conuenientia ratione vnionis hypostaticæ, non conuenient Filio.

DISPUTATIO XXXIX.

Vtrum illæ tres personæ essent vnus homo? an tres?

SECTIO I. *De significatione rerum in recto, & in obliquo.*

SECTIO II. *Veritas propositionum pendet ab identitate rerum significatarum in recto, in subiecto & predicato.*

SECTIO III. *Quæ ponantur in recto, quæ in obliquo.*

SECTIO IV. *Cur sit vnus Deus, & tres personæ?*

SECTIO V. *Tres personæ diuinæ cum vna humanitate essent tres homines; vna verò cum tribus esset vnus homo.*

SECTIO VI. *Prima difficultas contra eam doctrinam.*

SECTIO VII. *Secunda difficultas.*

SECTIO VIII. *Aliquorum doctrina.*

SECTIO IX. *Impugnatur.*

§. I. **H**æc questio affinis est illi vtrum tres personæ diuinæ sint vnus Deus, an tres dei? item si vnus Deus dicendus sit vna persona, an tres personæ? cum enim Deus sit vna natura cum tribus subsistentijs; cur sunt dicendæ tres personæ, & non vna? sicut dicuntur vnus Deus, & non tres dii. Quæ difficultas malè vexauit B. August. tom. 3. lib. 7. de Trinitate à cap. 4. ad finem: nec aliam rationem reddidit nisi vsum vocum. Cæterum questio videtur esse grauior: siquidem grauissima damnantur hæresi, qui aut vnā dumtaxat personam admittunt, vt Sabellius; aut plures deos, vt Pagani. Conabor totius difficultatis nodum soluere ex vera & apud omnes probata philosophia.

SECTIO I.

De significatione rerum in recto, & in obliquo.

§. 2. **S**æpè in disputationibus hæc voces audiuntur, *in recto, & in obliquo*. Nomina flexilia habent plures casus; nominatiuus est casus rectus; genitiuus, & alij sunt casus obliqui. Vnde constitui aliquid in recto, est constitui in nominatiuo: quæ verò constituuntur in obliquo, constituuntur in genitiuo, alijsue casibus. De quo etiam agendum breui disp. 70. à §. 17.

§. 3. Hæc constitutio non consideratur per verba adiectiua; sed solum per substantiuum: quia nomina cum illo congruentia, ponuntur in nominatiuo, aut alijs casibus: adiectiua enim varios exigunt casus pro ipsorum qualitate. Quæ enim oratione actiua constituuntur in recto, passiuua constituuntur in obliquo; & quæ passiuæ sunt in obliquo, actiuæ constituuntur in recto: vt, *Ego amo Deum: Deus amatur à me*. est ergo considerandum verbum substantiuum.

§. 4. Hoc autem consideratur, quando aliqua vox eo verbo explicatur, aut (vt aiunt) resoluitur in suas partes physicas. ex. gr. dubitat quis quid sit *album*? responderetur, *album est subiectum habens albedinem*:

animem. item *Quid est homo?* respondetur, *Homo est animal rationale*: en verbo substantiuo explicatur illæ voces. Quæ explicatione nonnulla ponuntur in nominatiuo; alia verò in alijs casibus, vt in prima propositione *subiectum habens* est in nominatiuo; *albedinem* autem in accusatiuo. ob quod *subiectum habens* est in recto; *albedo* autem *habita* in obliquo.

§. 5. Dupliciter autem id contingit: Primum, quando in obliquo ponitur aliquid non spectans intrinsecè ad rem significatam voce quæ resoluatur: vt *fidicas: Quid est visio?* respondeo, *Representatio coloris: representatio* est in recto: *color* in obliquo connotatur; non tamen aliquid spectans intrinsecè ad visionem: quia tota ratio videndi est intrinsecè, quin ad illam pertineat *color*: qui connotatur, siue simul notatur, vt terminus extrinsecus visionis. Quod genus connotati in obliquo nostra nunc interest parum.

§. 6. Secundum genus est, quando in obliquo ponitur aliquid intrinsecè pertinens ad rem significatam voce recta: quæ vox significat duos conceptus componentes aliquid: vterque autem est pars physicè aut logicè talis rei: vt *album*, in recto dicitur subiectum, non tamquam totum conceptum albi, quod addit aliquid præter subiectum: *albedo* autem connotatur in obliquo, tamquam pars rei significatæ voce *album*: igitur tam rectum, quam obliquum sunt de conceptu albi; quia sine subiecto, & albedine non est album, at sine colore potest diuinitus esse visio.

SECTIO II.

Veritas propositionum pendet ab identitate rerum significatarum in recto, in subiecto, & prædicato.

§. 7. **H**inc est disquirendum, cur propositiones sint veræ. mitto ratione Aristotelis, ab eo quod res est, vel non est, *propositio dicitur vera vel falsa*. Quæ doctrina est certissima: at oportet quærere quo pacto res sint, aut non sint, vt propositio sit vera, vel falsa. Omnis propositio constat subiecto, prædicato, & vnione. hæc coniungit subiectum, & prædicatum: id est, asserit subiectum, & prædicatum esse idem, vel non esse (si propositio est negatiua.) ex. gr. *Petrus est albus*, *albus* & *Petrus* dicuntur esse eadem res. At tam subiectum, quam prædicatum sunt in recto: nec posset aliter propositio esse vera.

§. 8. Vnde constat veritatem propositionis pendere ab eo quod res est: res autem est in recto, vt propositio sit, sicut res est: cum ergo quamcumque propositionem verbi adiectiuæ explicemus verbo substantiuo, & in huius verbi congruentia subiectum & prædicatum constituuntur in recto, & sic constituta affirmatur verè vnum de altero, aut verè negatur: tunc propositio attingit identitatem subiecti cum prædicato, vel distinctionem, si propositio est negatiua: satis est ergo si bona congruentia nominis cum verbo substantiuo, prædicatum, & subiectum in recto sint idem. Quod exemplis illustro: *Petrus est albus*, est propositio vera: quia *Petrus* & *albus* constituti in recto sunt idem: quamuis prædicatum aliquid in obliquo claudit, quod *Petrus* non est: *albus* enim dicit albedinem in obliquo. *Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.*

quo, quæ albedo non est *Petrus*. item *Petrus currit*, s. Thom. q. sic exponitur, *Petrus est currens*: est autè vera propositio: quia currens in recto nõ distinguitur à Petro; quamuis cursus positus in obliquo distinguitur.

§. 9. Hinc etiam conspicies, ad veritatem propositionum nihil obesse distinctionem realem obliquorum: quia licet ea omnia, quæ in obliquo ponuntur, sint realiter distincta; propositio est vera, si recta non distinguuntur. ex. gr. *Album est dulce*: subiectum & prædicatum dicuntur in obliquo albedinem & dulcorem: quæ duæ qualitates sunt realiter distinctæ, & tamen propositio est vera, solum quia recta sunt idem: quia id, quod in recto ponitur, in subiecto & prædicato non est distinctum. è contra verò: si recta sunt diuersa, quamuis obliquum sit idem, propositio erit falsa. ex. gr. pone vnã formam in duobus subiectis, non poterit verè affirmari vnum de altero: ex. gr. *materia* & *forma* vniantur vnione vna, quæ sit informatio & materializatio, non potest dici verè, *informatum est, & materializatum*: quia recta sunt diuersa, quamuis obliqua sint idem. item duo vestiti eadem veste non possunt mutuo affirmari.

§. 10. Obijcis: *Albedo prædicatur de albo*: ergo opus est, vt sit idem cum illo. Distinguo antecedens: prædicatur in recto, nego antecedens; prædicatur in obliquo, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia non prædicatur vt eadem cum subiecto, sed vt habita à subiecto. Perinde enim est, *Album est dulce*; ac, *Pomum habens albedinem habet etiam dulcorem*: cum quibus componit album, & dulce. Complexum vnum non prædicatur de altero: *album* enim acceptum pro toto composito non est *dulce* acceptum pro toto composito: nec ita prædicantur: sed prædicatur subiectum album, & dulce, vt habens eas qualitates, & ab eis denominatur.

SECTIO III.

Quæ ponantur in recto? quæ in obliquo?

§. 11. **F**requenter dicitur à Philosophis & Theologis concreta adiectiuæ præcipue supponere pro subiectis; pro formis autem minus præcipue; vt constat ex S. Thoma 1. p. q. 39. art. 3. & 3 parte q. 3. a. 7. ad 2. & alibi: accipi autem magis præcipue idem est, ac accipi in recto; quæ verò minus præcipue accipiuntur, idem est ac in obliquo constitui. Ratio S. Thomæ est: quia substantiuæ significant essentiam & substantiam; quæ per se est vna, aut plures: adiectiuæ autem significant rem vt inhærentem alij: quæ autem inhærent, accipiunt à subiectis vnitate, aut pluralitatem.

§. 12. Ratio igitur à priori est: quia rectum significat rem, vt per se stantem, obliqua verò non ita: cum autem in adiectiuis subiectum stet per se, forma verò, aut realiter inhæreat subiecto, aut significetur more inhærentiæ; idè subiectum ponitur in recto, forma verò in obliquo. ex. gr. *Album* significat parietem, aut hominem per se stantem; *albedinem* verò vt illi inhærentem.

§. 13. In concretis substantiuis existimo esse rationem eandem: vt *homo*, *leo*, &c. in his enim aliquid est in recto, & aliquid in obliquo: quia ha-

S. Thom. q.
3. a. 4. & c.

bent imitationem adiectiuorum: homo enim duas partes includit, nempe humanitatem, quæ est essentialis; & suppositum, quod pertinet ad quoddam genus integritatis: humanitas stat per se: quia est independens à priori à supposito; hoc autem est in humanitate ut in vero subiecto, ut albedo in Petro: ergo ut album significat in recto Petrum, & in obliquo albedinem: ita homo significat in recto humanitatem, & in obliquo personam.

§. 14. Obijcis: Leonitas includit duas partes; alteram independentem, alteram dependentem ab altera: ergo leonitas supponit in recto pro sola materia. Nego consequentiam: quia leonitas non est nomen concretum, sed abstractum significans indiuisim totam essentiam ut non dependentem aliunde; leo autem significat concretè: est ergo opus querere rectum, & obliquum. *Vnitum compositum*, & alia, quia sunt concreta, dicunt in recto partes unitas, & in obliquo unionem: humanitas autem non ita: quia est terminus abstractus, qui significat rem ut per se stantem.

§. 15. Hinc deducitur, cur frequenter dicitur in nominibus substantiuis, suppositionem præcipuam esse pro forma, seu quidditatiuo conceptu significato per nomen: quia eiusmodi conceptus ponitur in recto, quia per se stat: alij verò ponuntur in obliquo, quia significantur more alij adiacentium.

SECTIO IV.

Cur sit vnus Deus, & tres personæ?

§. 16. **N**on est difficile deducere, cur Deus sit vnus, personæ autem diuinæ tres? Deus est nomen concretum, significans deitatem, & suppositum. Vbi vterque conceptus est à parte rei per se stans, quin pendeat ab altero in genere causæ materialis: vnde vterque potest in recto significari: quia cum per se stet, quod ad id exigitur, poterit ita significari, item substantia, quamuis physicè non pendeat ab alia, potest significari more dependentis. Quod patet primùm in differentia essentiali; quæ significatur in quale quid: tum quia potest significari, ut habita ab alia substantia, quod significatur in obliquo, ut corpus est animatum; significat in obliquo animam rationalem perfecte subsistentem; modus autem significandi est in obliquo.

§. 17. Deus igitur significat deitatem, & suppositum: deitatem quidem in recto; suppositum in obliquo. Primùm, quia omnia nomina substantia & substantia ita significant, ubi sunt connaturaliter: homo enim & leo significant in recto naturam humanam, & leoniam. Secundò, quia deitas & est formalis ratio quidditatiua, & stat per se: at suppositum significatur in obliquo: quia non est ratio formalis & quiddatiua Dei ratione nostra; & significatur ut terminans deitatem, & ut ab illa habitum. E contra verò persona in Deo significat in recto personalitatem, & in obliquo deitatem. Quòd personalitas est ratio quiddatiua personæ sub conceptu reduplicatiuo personæ: quia est ratio formalis personæ: ut albedo albi, item stat absolutè per se sine dependentia subiectiua à natura: & significatur ut naturam complens, eamque habens.

§. 18. Ob quod tres personæ sunt vnus Deus: quia significatur in recto huius nominis Deus est

vnus numero in omnibus: quia est natura diuinæ personalitates autem eo nomine significatæ sunt tres; sed significantur in obliquo: at si non multiplicatur recta, non multiplicatur significata formaliter per nomen, licet multiplicentur obliqua: ergo licet multiplicentur personæ, non multiplicatur Deus, formaliter significatus hoc nomine Deus. Quæ apertè probantur ex §. 8. & 9. Hæ enim propositiones sunt veræ, *Pater est Deus: Filius est idem Deus*: quia recta sunt, ut dicuntur per illam: etenim prædicatum *Deus* significatur in recto, est idem omnino in vtraque propositione; ob quod sunt *Pater & Filius idem numero Deus*: ut in hac, *Petrus est albus*, *Petrus est musicus*: *musicus & albus* sunt idem omnino numero: ob quod est idem Petrus musicus & albus: ita *Pater, & Filius* sunt idem numero Deus: quia non significantur duæ deitates, sed vna numero.

§. 19. E contra verò personæ sunt tres: quia formale significatum hac voce *persona* sunt tres personalitates, stantes per se, & eo more significatæ in recto; deitas autem ea voce significata est in obliquo: quia non est ratio formalis personæ reduplicatiue ut est persona, & significatur ut completa per subsistentiam. Quando verò multiplicatur recta, multiplicatur significata per illud nomen: quamuis non multiplicentur obliqua: ut patet ex §. 8. & 9. ergo personæ sunt tres: ob quod persona Patris non est persona Filij; quia significantur in recto duæ personalitates distinctæ realiter inter se. Hæc attingisse sit satis, fulsius in Trinitate probanda: quæ accepta sunt ex B. Thoma 1. p. q. 29. art. 4. & q. 30. a. 1. corpore, & ad 1. & q. 39. a. 3. corpore, & ad 4.

SECTIO V.

Tres personæ diuinæ cum vna humanitate essent tres homines; vna verò cum tribus esset vnus homo.

§. 20. **V**nde deduco, tres personas diuinæ cum vna humanitate fore tres homines, & non vnum. S. Thomas q. 3. a. 6. ad 1. indicare videtur eas tres personas fore eundem hominem. Caietanus opinatus eas futuras tres homines, exponit S. Thomam de identitate secundum quid: quia sunt simpliciter tres homines; vnus verò secundum quid. Et quidem S. Thomas est satis apertè ab hac sententia: quia ait eas non fore vnā simpliciter, sed vnū in ratione hominis, id est, humanitatem esse vnā; at in ratione Dei sunt vnū non solum reduplicatiue, sed absolutè: sunt enim absolutè vnū: quia sunt vnus Deus, & tres personæ. art. item 7. ad 2. ait vnā personam cum duabus humanitatibus fore vnū hominem absolutè, & duos secundum quid: id est, vnus cum duabus humanitatibus, quas respectu Verbi comparat ut vestem vestito: at tres personæ cum vna veste sunt absolutè tres vestiti: ergo & tres personæ cum vna humanitate sunt tres homines absolutè, & vnus secundum quid. Hæc doctrina est Caiet. & frequenter Thomistarum, Marfilij in 3. q. 2. a. 3. dub. 2. & Gabr. in 3. d. 1. q. 1. a. 3. dub. 3. & aliorum.

§. 21. Probatur tum in his propositionibus: *Pater est homo, Filius est homo, Spiritus sanctus est homo*: recta ex parte subiecti & prædicati essent tria reali-

ter distincta in vna propositione ab alijs: ergo essent tres personæ ex parte subiecti, & tres humanitates ex parte prædicati. Consequentia non eget probatione: quia ex tota disputatione est aperte probata. Adde, sunt veræ illæ propositiones: ergo recta sunt tria ex parte subiecti. Probo consequentiam: quia non potest esse identitas ex parte prædicati cum tribus subiectis realiter distinctis: nisi prædicata sint realiter distincta: vt in his, *Petrus est albus; Ioannes est albus; albus* ex parte prædicati distinguitur realiter in vtraque: quia est idem cum duobus subiectis realiter in vtraque distinctis.

§. 22. Dices, in his propositionibus, *Pater est Deus, Filius est Deus*, subiectum esse distinctum; prædicatum autem idem: ergo idem contingit in ijs, *Pater est homo, Filius est homo*. Nego consequentiam: quia in prima prædicatum in recto est deitas, quæ est idem cum tribus suppositis, quæ sunt subiecta earum propositionum: at in secunda prædicatum in recto non est natura humana, sed supposita diuina, quæ essent formaliter & immediatè incarnata, vt nunc *Filius est homo*; prædicatum non significat in recto immediatè & proximè naturam, quæ non est homo; sed personam, quæ est homo: ergo nisi in mysterio Trinitatis non possunt tres propositiones esse veræ, nisi prædicata sint à parte rei distincta, vt sunt subiecta. Quæ sunt certa.

§. 23. Secundò, probatur & explicatur primum argumentum: nunc in hac propositione, *Verbum est homo*; subiectum & prædicatum in recto est persona Verbi: ergo in illis tribus si essent veræ, prædicata essent in recto tres personæ. Consequentia liquet: quia *homo* eadem ratione diceretur de Patre, ac nunc dicitur de Filio: ergo essent tres homines: quia non posset in recto prædicari nisi tres personæ habentes humanitatem, quæ non essent idem homo: quia homo supponitur in recto pro persona habente humanitatem: vt non prædicaretur idem album, si vna albedo esset in tribus hominibus. Primum antecedens probò: quia hæc propositio nunc est vera, *Verbum est homo*: quia recta prædicati & subiecti sunt idem: sed non essent idem, nisi rectum prædicati esset sola persona Verbi sine aliquo ereato posito in recto: ergo nunc rectum illius prædicati est sola persona Verbi. Probo antecedens: quia ex parte prædicati possumus in recto considerare solam personam: quod contendò, & ideo propositio est vera: quia significat personam Verbi subsistere in vtraque natura: sicut *album est dulce*, significat idem subiectum esse sub vtraque qualitate, aut possumus considerare in recto solam humanitatem, quod esse non potest: quia propositio, *Verbum est homo*, esset falsa: vt hæc esset, *Petrus est albus*; si albedo significaretur in recto: esset enim perinde, ac *Verbum est humanitas*; *Petrus est albedo*. Nec item in recto significatur humanitas simul cum Verbo: sicut nec albedo simul cum Petro: quia vt *Petrus* non est albedo simul secum ipso, ita nec *Verbum est humanitas*. constat ergo in ea propositione, *Verbum est homo*, rectum subiecti & prædicati esse solam personam Verbi.

§. 24. Constat item in hac etiam propositione, *Pater est homo*, si esset vera, rectum subiecti & prædicati esse solam personam Patris: & vt nunc sola persona Verbi est homo per denominationem ab humanitate illi vnita hypostaticè, & reddit hunc sensum: *Verbum est homo*: id est, *persona Verbi est perso-*

na humana ab humanitate sibi vnita: ita *Pater est homo*, esset persona Patris persona humana ab eadem humanitate eodem modo vnita: sed persona Verbi facta humana, non est persona Patris facta humana: sicut *Petrus factus albus* non est *Antonius factus albus* ab eadem albedine: ergo *Pater & Filius* non essent idem homo ab humanitate eadem. Quod argumentum iterum attingam §. 34. ergo essent plures homines. Probo Minorem: quia homo & persona humana idem essent tam in re, quam in modo significandi: vt nunc patet: *Verbum est homo; Verbum est persona humana*: hæc in nullo differunt.

§. 25. Vnde item deduco, vnam personam diuinam cum tribus humanitatibus fore vnum numero hominem, non verò tres. Quod clarè docuit S. Thomas q. 3. art. 7. ad 2. Caietan. & alij Thomistæ: at S. Thomas eo art. 7. retractat oppositam sententiam, quam docuerat in 3. d. 1. qu. 2. art. 5. ad 2. P. Suarez disp. 13. sect. 3. vers. *Nihilominus*, cum Marfilio, Almairino, & Gabriele. Probat in ijs propositionibus: *Verbum est homo ab hac humanitate*; item, *est homo ab hac alia humanitate*, significatum in recto subiecti & prædicati est omnino vnum & idem numero in vtraque propositione vera: ergo est vnus numero homo. Consequentia patet ex dictis: quia ab vnitate recti accipitur vnitas significatarum rerum: vt idem *Petrus* esset vnum album à duabus albedinibus; vt, *Petrus est albus ab hac albedine*; item *est albus ab hac eadem*: est idem album, licet albedines sint duæ. Quæ ratio est aperta; nec opus est alias quærere obsecras cum Caietano in art. 7. ad 2. qui potuit hoc pacto se extorcere ab argumento Scoti.

§. 26. Qui in 3. d. 1. quæst. 3. & in 2. disp. 12. qu. vnic. ad fin. Durand. in 3. dist. 1. q. 3. S. Thomas eadem d. 1. q. 2. art. 5. ad 2. P. Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 155. c. 5. & alij censuerunt vnam personam diuinam cum duabus humanitatibus fore duos homines. Argumentum sit: quia eadem ratione posset dici vna persona dumtaxat in Trinitate: quia licet sint plures substantiæ, non est nisi vna natura: vt in Christo in eo euentu esset vnus homo: quia licet sint tres humanitates, non est nisi vna substantia. Nego sequelam. Ad probationem, respondeo personam diuinam significare in recto personalitatem, quæ triplex est in Deo, ob quod & personæ tres: homo autem in Deo non significat humanitatem in recto, sed personalitatem, quæ vnà esset in tribus naturis. Alia argumenta proponam sectione sequenti.

§. 27. Prius tamen examinanda est controuersia Scoti cum S. Thoma, & Caietani cum Scoto: S. Thomas art. 7. ad 2. ait nomen significans formam non dici pluraliter nisi propter pluralitatem suppositorum: quòd si vna persona assumpsisset plures humanitates, hæc vox *homo* non significaret plura supposita, nec essent plures, sed vnus homo. Scotus arguit: Ergo si forma significetur in pluribus suppositis, nomen dicitur pluraliter: quia ad vnitatem, aut pluralitatem consideranda est vnitas suppositi, aut pluralitas: ergo Trinitas sunt tres dii: quia forma significatur cum tribus suppositis. Caietan. ait esse posse duas regulas: alteram negatiuam; nempe nomina non dici pluraliter, nisi supposita sint plura. quam regulam ait traditam à S. Thoma. Secunda est affirmatiua, nempe nomina

S. Thom. q. 3. a. 4. & c. dici pluraliter quociens supposita sunt plura. Hoc negat affirmatum à S. Thoma in substantiuis concretis: quia exigitur etiam pluralitas formæ. Vnde negat consequentiam Scoti.

§. 28. Contrà: Nomina substantiua dicuntur pluraliter pro sola multitudine suppositorum, etiam si non multiplicetur forma: ergo bona est consequentia Scoti. Probo antecedens hoc nomine *persona*, quæ in Deo dicitur pluraliter pro sola multitudine suppositorum: licet deitas sit vna. vt enim *Deus* constituitur ratione nostra ex deitate, & supposito: ita *persona* Deus: cur ergo ad pluralitatem nominis non est satis pluralitas suppositorum cum vnitatem naturæ, & est satis ad pluralitatem nominis *persona*? quæ eodem pacto constituitur ex deitate, & supposito.

§. 29. Respondeo, Caietanum fuisse sui immeritorem: tres enim personas dixit fore tres homines cum eadem numero humanitate; sicque S. Thomam explicuit: quia supposita sunt tria. Distinguitur itaque consequens Scoti ex §. 26. si forma eo nomine significetur in obliquo, & suppositum in recto; concedo consequentiam: tunc enim nomen dicitur pluraliter; si verò forma significetur in recto, & suppositum in obliquo, nego consequentiam: non enim dicitur nisi singulariter: vnitatem autem, & pluralitatem suppositorum consideratur ad nominis pluralitatem, si supposita dicantur in recto; non verò si in obliquo. Hinc nego secundam consequentiam: quia *Deus* significat naturam in recto; & *persona* in obliquo. S. Thomas rectè dixit: quia censuit in ijs euentibus supposita in recto constitui.

SECTIO VI.

Prima difficultas contra eam doctrinam.

§. 30. **C**ontra totam hanc doctrinam, eiusque probationes sunt aliquæ difficultates non leues. Prima, quia, si tres substantiæ creatæ essent vnitatem eidem humanitati, non essent tres homines, sed vnus: ergo licet tres personæ diuinæ vniantur eidem humanitati, erunt vnus homo, & non tres. Consequentia videtur bona: quia ob singularitatem humanitatis in antecedente *homo* diceretur in singulari. Antecedens probo: quia nunc vna deitas cum tribus suppositis non constituit tres deos, sed vnum: quia in substantiuis non dicitur numerus pluralis sine pluralitate formarum.

§. 31. Item, si tres humanitates essent cum eadem numero substantiæ creatæ, essent tres homines, & non vnus: ergo vna persona diuina cum duabus humanitatibus erunt duo homines, & non vnus. Probo antecedens: quia nunc tres personæ cum vna natura constituuntur propter personalitatum pluralitatem: & quia in substantiuis nomina dicuntur pluraliter propter pluralitatem formarum.

§. 32. His argumentis vti non possunt, qui censent substantiam creatam esse modum: petunt enim argumentum non solum ab impossibili (quod aliquando licet) sed ab ipsa formali terminorum, qui retinentur, contradictione. quia modus ex conceptu suo includit oppositionem ad tribuen-

dum suum formalem effectum rei alienæ: ergo retinere in argumento modum & communicationem effectus formalis rei alienæ est retinere in ipsa suppositione terminos formaliter oppositos: est autem argumentum contra me constituentem suppositum creatum, rem, & entitatem absolutam, non verò modalem.

§. 33. Posset responderi, tres substantias creatas cum eadem humanitate fore tres personas humanas, & vnum Deum: item vnam substantiam cum tribus humanitatibus fore tres homines, & vnam personam. Quod esset dicendum, si *homo* supponeretur in puris creaturis eodem pacto quo in Incarnatione Dei.

§. 34. Ad argumentum ex §. 30. concedo antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem, respondeo tunc fore vnum hominem, non ob singularitatem humanitatis duntaxat; sed quia homo in homine puro supponitur in recto pro humanitate, & in obliquo pro substantia: quia verò nomina non dicuntur pluraliter nisi recta sint plura; ideo compositum ex vna humanitate, & tribus substantiis creatis, est vnus homo, & vna persona: quia illud nomen significat humanitatem in recto, & hypostases in obliquo, quo conuenit cum nomine *Deus*: quod in recto significat deitatem, & personas in obliquo. At *homo* in Incarnatione Dei significat in recto personalitatem, & humanitatem in obliquo: cum autem recta sint tria, essent in eo euentu tres homines, & tres personæ humanæ: nec enim essent vna persona humana, sed tres; tres autem personæ humanæ tres homines sunt.

§. 35. Ad argumentum ex §. 31. concedo antecedens, & nego consequentiam. discrimen patet ex §. 34. quia *homo*, & *persona humana* in puris creaturis significant humanitatem in recto: tunc autem essent tria recta: ergo & tres homines, & personæ tres. at in Deo *homo* in recto significat suppositum, quod esset tunc vnum: tres autem humanitates significatur in obliquo. Hinc patet latum discrimen.

§. 36. Contra hæc obijciunt: Primum, Christum non esse vniuocè, sed æquiuocè hominem nobiscum: hoc autem est absurdum: ergo. Probant Maiorem: *homo* in Christo significat personam diuinam vnitatem hypostaticè humanitati: in nobis autem significat humanitatem vnitatem hypostaticè: hæc autem sunt æquiuoca: ergo. Probo Minorem: quia humanitas, & substantia æquiuoca sunt.

§. 37. S. Thomas 1. p. q. 29. art. 4. & locis indicatis §. 19. docet personam in Deo significare relationem vt per se substantiam (quod à me dicitur in recto) in purè autem creaturis significari ea voce naturam vt per se stantem: docet ad 4. non sequi inde personam esse æquiuocam, sed analogam. Diuersa est illa quæstio ab hac, quamuis argumentum minus est diuersum. Nego autem Maiorem ex §. 36. Ad probationem, respondeo vocibus *persona humana*, & *homo*, significari eandem omnino rem in Incarnatione Dei, ac in nobis; quod attinet ad vniuocationem hominis, & personæ humanæ, in ratione humanæ: quia vniuocatio hominis sumitur ab essentia hominis; quæ est sola humanitas: hæc autem in Christo, & in nobis est eiusdem speciei atomæ. ob quod non potest esse æquiuocatio, nec analogia in ratione hominis: quia modus significandi diuersus eandem rem in recto, aut in obliquo non constituit æquiuocationem: æquiuoca enim

enim nihil habent commune præter nomen : at Christus licet humanitate significet in obliquo hac voce *homo* ; & Petrus eam significet in recto : commune habent præter nomen : habent enim humanitates eiusdem speciei.

§.38. Confirmatur. Deus est homo vniucè nobiscum; at diuerso modo realiter est homo: quia non est essentialiter homo; sed per aliquid omnino extra essentiã Dei: at Petrus est homo essentialiter, & non per aliquid extra suam essentiã; sed potius tota eius essentiã est conceptus quidditarius hominis: ergo (si tua ratio aliquid probat) sunt æquiuocè homo. Probo consequentiam: quia illa diuersitas in habenda realiter humanitate, maior est quàm in eam significando. Imò diuersus significandi modus oritur ex diuersa ratione habendi humanitatem. Quia igitur Deus est homo ab eadem humanitate speciei, ac nos; ideo est vniucè homo: quia quocumque modo habeat aut significet humanitatem; iam illi nobiscum est aliquid commune præter nomen: illud que est commune cum specifica similitudine, quæ fundat vniucationem.

§.39. Et quidem vniucatio sumitur à sola ratione formali tribuente effectum formalem; licet subiecta sint æquiuoca: etenim ens reale, & rationis æquiuoca sunt; at conueniunt vniucè in ratione cogniti: substantia & accidens sunt analoga; vniuoca verò in eadem ratione cogniti, & amati. Persona Filij analogè conuenit cum nostra, in sententia communi; at in ratione hominis conuenit vniucè: quia cognitio vniuoca est ad ens reale terminata cum ea, quæ ad ens rationis: & humanitas Verbi vniuoca est cum nostra: ergo multò minis tollitur vniucatio ex diuersa ratione significandi.

§.40. Ad argumentum ex §.36. nego Maiorem. Ad probationem, nego Minorem: quia subsistentia diuina vt facta homo, & natura humana habens propriam subsistentiam, dicunt conceptum specificè communem, licet diuerso modo significatum.

§.41. Obijciunt Secundo, nomina accipienda esse in vsu communi: quo homo purus dicit in recto humanitatem; ex quo significatio translata est vox ad diuina, & Deus caro factus dicitur *homo*: ergo cum eodem modo significandi.

§.42. Respondeo argumentum esse inefficax: quia eo probaretur Deum esse essentialiter hominem: quia vsu communi *homo* in puris creaturis significat humanitatem essentialem homini: ergo & eam significat essentialem Deo. En tuum consequens per bonas consequentias ex tuo argumento. Cui respondeo retinendam significationem, modum que communem retento modo significandi diuersos modos existendi realiter: quia igitur humanitas est extra Dei essentiã, significatur à Patribus more indumenti. quo exemplo vsus est etiam S. Thomas: non quòd humanitas vniatur Deo per accidens vt indumentum induto; sed quia est extra eius essentiã & indigentiam: at humanitas nullibi comparatur indumento in puris hominibus. retinetur ergo significatio communis, qua homo significat humanitatem esse rationem hominis, & eum constituere hominem: modus autem, quo id in nobis significat, est diuersus: quia diuerso modo ego sum homo, ac Deus est homo: ego enim essentialiter; Deus autem minimè. Et qui hoc argumen-

to vruntur, dicunt Deum aliquando supponi explicitè pro natura, aliquando pro personis; nec tamen eam vocem dicunt æquiuocam. S. Thomas 1. p. q. 29. art. 4. ait personam in humanis significare hanc carnem, & hæc ossa: caro autem & os ad naturam pertinent directè & explicitè: sunt enim principia motus eius, in quo per se primò insunt; in Deo autem persona significat explicitè relationem. Non est ergo nouus hic significandi modus, quo persona in Deo dicat in recto suppositum, & in obliquo naturam; in homine autem puro in recto naturam, & in obliquo suppositum. Recognosce S. Thomam allegatum §.19.

§.43. Obijciunt Tertiò: In nobis humanitas subsistens est homo: ergo vbicumque subsistat, est homo: sed in Christo subsistit: ergo. Distinguo consequens: vbicumque subsistat significata in recto, est homo, secus significata in obliquo: in Christo significatur in obliquo, quia concipitur adiacere Verbo, & ab eo pendere: in nobis existit in recto, quia est verè subiectum suæ subsistentiæ, quæ ea voce *homo* aut *persona* significatur; vt forma pendens subiectiue ab humanitate, vt verè pendet. est ergo homo, vt *homo* significat partem hominis in recto, & aliam in obliquo.

SECTIO VII.

Secunda difficultas.

§.44. Secunda difficultas contra eam doctrinam est ex mysterio Trinitatis: quia si Deus significat in recto naturam; hæc propositiones sunt falsæ, *Deus generat, Deus generatur*: redderent enim hunc sensum, *Natura diuina vt subsistens generat, & generatur*. quod est hæreticum.

§.45. Breuiter respondeo, Deus absolutè acceptum significare formaliter, item & in recto naturam: vt, *Deus creat: Pater est Deus*: vbi Deus accipitur formaliter pro natura, quam significat in recto: quia ratio creandi est natura significata in recto. item Pater includit formaliter naturam significatam absolutè. quod dicitur hac propositione, *Pater est Deus*: est enim natura diuina vt paternitate subsistit. Quando verò nomini Deus adiungitur aliquid notionale: vt *Deus generat, aut generatur*; tunc Deus accipitur materialiter, seu identicè; formaliter autem accipitur pro persona generante, aut genita: tunc non significatur in recto natura, sed personalitas: quia notio illi addita reddit significationem nominis *Deus*, ac si esset nomen *persona*: quæ formaliter est generans, aut genita. ergo *Deus generat*, reddit hunc sensum: *persona, que est Deus, generat*: quod non habet ex sola significatione nominis *Deus*, sed ex adiuncta notione: quæ facit vt cognoscamus, cui conceptui, & qua ratione conueniat, conuenit autem naturæ identicè solùm, vt est idem cum Patre; non tamen formaliter: ob quod non generat: at Deus significat formaliter deitatem. vide S. Thom. 1. p. quæst. 39. a. 4.

S. Thom. 7.
3. 2. 4. & c.

SECTIO VIII.

Aliquorum doctrina.

§. 46. **E**xplicatâ sententiâ propriâ, cæterâ facillè
refelluntur. nonnullas iam impugnauit,
vna superest inter omnes, quas vidi consideratu
dignas. Asserit Primùm, *Ex tribus naturis cum eadem
personalitate resultat vnus homo:* in quo conuenitur
cum doctrina præmissâ §. 25. Secundò asserit, *Non
resultant plures homines, aut dixit vnica natura, &
pluribus suppositis.* Qua parte id dicitur de Deo est
fide sanctum: Deus enim est vnus; quamuis per-
sonæ sunt tres. item qua parte dicitur idem de vna
humanitate cum pluribus suppositis creatis, est et-
iam verum: quod probaui §. 34. qua verò parte id
dicitur de tribus suppositis diuinis, opponitur do-
ctrinæ, quam tradidi §. 20. Itaque ex hac senten-
tia si tres personæ assumpsissent humanitatē eam-
dem, non essent tres homines, sed vnus. Asserit
Tertiò: *Plures personalitates terminantes eandem natu-
ram, constituunt cum illa tres personas.*

§. 47. Probant, quia termini substantiui, vt,
Deus, homo: significant explicitè naturam, & valdè
confusè suppositum. Quod explicant: quia suppo-
situm significatur vagè, indeterminatè & confusè,
explicandum more indiuidui vagi *aliquis homo.* Ho-
mo igitur, & *hic homo* significat aliquod suppo-
situm vagè: nempe aliquod suppositum cum huma-
nitate, vel cum hac humanitate. *Homo* significat
indeterminatè vtrumque: *hic homo* significat etiam
indeterminatè suppositum; humanitas autem si-
gnificatur determinatè in indiuiduo. Quod ipsi
vocant nomina determinationis applicari naturæ:
quia explicitè significatur; vt *hæc humanitas:* nomi-
na autem indeterminatiōis applicari supposito;
vt *aliquod suppositum.*

§. 48. Contrà verò *persona* significat explicitè
suppositum; naturam verò confusè: etenim *hæc
persona* significat explicitè hanc numero personali-
tatem; implicitè verò naturam intellectualem: hæc
enim persona est hæc personalitas cum aliqua natu-
ra: sicut *hic homo* est aliquod suppositum cum
hac numero humanitate. & sicut *hic homo* non si-
gnificat determinatè suppositum in indiuiduo: ita
nec hæc persona significat in indiuiduo naturam:
quia licet *homo* & *persona* significant in recto solam
personalitatem; naturam verò in obliquo; at di-
uerso modo: quia *homo* naturam determinatè, vagè
autem suppositum; *persona* verò suppositum de-
terminatè, & naturam vagè.

§. 49. Hinc probant tres humanitates cum vna
persona non esse tres homines, nec tres personas.
quia nomen multitudinis, aut plurale non appli-
catur obliquis, sed rectis; at rectum tunc esset v-
num, nempe suppositum; quamuis obliqua essent
tria. item probant tres personalitates cum vna hu-
manitate fore tres personas: quia recta sunt plura.
Nescio sanè an tam bene probent eas non esse tres
homines: quia *homo* & *persona*, in illorum sententia,
significant in recto suppositum dumtaxat: sed re-
cta sunt tria in homine, non minùs quàm in per-
sona: ergo.

SECTIO IX.

Impugnatur,

§. 50. **I**n hac doctrina plura displicent. Primùm,
significationem vagam applicari rectis, de-
terminatam autem obliquis: vt *hic homo* significat
humanitatem in obliquo, & determinatè; suppo-
situm autem in recto, & confusè. quod sine funda-
mento asseritur: quia potius recta significantur de-
terminatè; obliqua verò vagè. Quod Primùm
probo exemplo adiectiuorum: *hoc album* significat
magis expressè albedinem, quàm subiectum: quia
albedo significatur in specie; subiectum autem in
genere. imò *hoc album* non significat speciem
subiecti, sed indiuiduum, vt subest albedini, non
explicato conceptu quidditatiuo subiecti; albedo
autem significatur quidditatiuè: quia significatur
in specie atoma; & tamen albedo quoad indiui-
duum significatur vagè; subiectum autem deter-
minatè: quia *hoc album* est Petrus cum aliqua albe-
dine; manet autem idem *album*; si manet Petrus
cum alia albedine, licet non cum priori: ergo si-
gnificatio expressa speciei non est satis ad signifi-
cationem determinatam in indiuiduo, nisi res si-
gnificata ponatur in recto: nec item implicita
cogitatio est satis ad suppositionem vagam, si po-
natur in recto res significata.

§. 51. Obicit Primùm, terminos implicari in
significatione expressa, & vaga. Respondeo etiam
ab aduersarijs admitti (nec potest negari) hac voce
album expressius significari speciem albedinis,
quàm subiecti; & tamen ipsi etiam fatentur *albedi-
nem* non supponi pro hac in particulari; secus au-
tem *subiectum*. Ratio est clara, quia potest species
cognosci clarè, & indiuiduum vagè: imò potest
cognosci *albedo* in indiuiduo, & non significatur
hac voce, *hoc album:* item subiectum potest cognos-
ci in indiuiduo quoad minus habendi albedinem;
quin nec eius species, nec indiuiduatio noscantur,
vt sunt substantialiter & specificè.

§. 52. Obicitur Secundò, in substantiuis & ad-
iectiuis esse diuersos loquendi modos: fundamen-
tum est: quia adiectiua significant quidem formam
expressius, sed per modum accidentis habiti à sub-
iecto: quod subiectum iam supponitur constitu-
tum in suo esse completum, quod debeat designa-
ri termino particulari. At termini substantiui vt
homo, non significant humanitatem vt habitam,
seu vt aduenientem alteri, sed substantiue, vt con-
stituentem primariò illud ens. ideo quando huma-
nitas significatur nomine substantiuo formaliter
& expressè, significatur vt determinata; substā-
tentia verò indeterminata: quia non significatur
vt habeas humanitatem, vel vt eius subiectum, sed
vt eius terminus.

§. 53. Contrà: Ergo tres personæ diuinæ cum
eadem humanitate erunt tres homines, & non v-
nus: quod ipsi negant §. 46. Probo consequentiam:
homo acceptus pro *Deo homine*, non significat pri-
mum conceptum eius rei, quæ dicitur *homo*; sed il-
lum completum supponit humanitas: sed ob hanc
rationem per te adiectiua supponuntur indetermi-
natè pro forma accidentaria, & determinatione
pro subiecto, & plura subiecta cum eadem albedi-
ne

se non sunt vnum, sed plura alba: ergo tres personæ cum eadem humanitate non sunt vnus homo, sed tres. Maior probatur: quia Deus est homo: Deus autem ante humanitatem erat iam completus in suo esse. Ob quod homo in Incarnatione Dei, imitatur terminos adiectiuos, supponens in recto pro persona, quæ habet humanitatem: quod Sancti explicarunt exemplo vestiti. ob quod ego dixi §. 21. & 34. eam vocem in Deo homine significare humanitatem in obliquo; in nobis autem in recto.

§. 54. Quod item probo ad hominem: adiectiua ideo habent parte diuersum modum significandi, quia forma est in alio tamquam in subiecto: sed in puris creaturis subsistentia est in alio, tamquam in subiecto; humanitas autem non: ergo vt in adiectiuis *albedo* ponitur in obliquo, & *Petrus* in recto: ita in substantiuo *homo*, *humanitas* ponitur in recto, & *subsistentia* in obliquo. Consequentia patet: quia ratio est eadem. Maior à te datur. Minor patet: quia humanitas est verum subiectum subsistentia; & hæc est in humanitate tam dependenter ab illa vt à subiecto sustentante, quam *albedo* in *Petro*. Quod argumentum est clarum.

§. 55. Confirmatur. Subsistentia non potest accipere denominationem *homo* ab humanitate in puro homine: humanitas autem eam potest accipere à subsistentia: ergo in puris creaturis *homo* non significat in recto subsistentiam, sed humanitatem. Consequentia patet: quia *homo* in recto significat id, quod est tale ab humanitate: at subsistentia non est talis. quod est antecedens, & probo: quia vt humanitas tribuat denominationem alicui rei, debet non esse subiectum illius, sed potius forma, aut quasi forma. hoc enim disparatur subiectum à forma, quod hæc illi communicat suam denominationem; secus illud, vt dixi vol. 1. disp. 22. Physic. à §. 13. subsistentia autem increata, quia est ens perfectum, & nullo modo pendens ab humanitate, potest ab illa denominari *homo*, & in recto significari.

§. 56. Igitur ea ratio standi per se est ob quam adiectiua significant in recto subiectum: & probat in concretis substantiuis, non significari in recto nisi ea, quæ vel sunt subiecta, vel explicantur more subiectorum per se stantium.

§. 57. Iam insinuaui §. 49. tres subsistentias cum vna natura non modò fore tres personas, sed etiam tres homines: quia parte *homo* & *persona* significant in recto solas personalitates: sed vox *homo* tunc significaret tres in recto, sicut vox *persona*: ergo vt sunt tres personæ, sunt etiam tres homines. Minor probatur: quia tunc verè essent tria supposita, & hæc propositio esset vera: *Sunt tria, quæ sunt, & denominantur homo*: ergo sunt tres homines. Probo consequentiam: quia tot homines sunt, quot denominantur; vt sunt etiam tres personæ: licet enim confusè significantur, seu indeterminatè; at vagè significantur tria: non enim exprimentur esse hæc tria numero, aut illa determinatè, sed aliqua

tria. vt si diceret, *tres homines currunt*; non propterea dicitur esse hos tres, sed aliquem ternarium numerum: erunt ergo tres homines ab hac humanitate, vt tria alba ab hac albedine.

§. 58. Præterea in Trinitate non caret absurdo ea doctrina: quia *Deus*, siue hic *Deus* supponitur parte in recto pro supposito vagè. Quia suppositione fatetur veram esse hanc propositionem, *Pater est Deus*: quia est aliquod suppositum eius nature: vt hæc est vera, *Petrus est aliquis homo*. At hæc propositio est falsa in ea significatione: *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul sumpti sunt Deus*: quia non sunt aliquod suppositum. vt enim in Logica ex Aristotele dixi, *Homo, vnus homo, aliquis homo*, idem sunt: at tres personæ collectiue acceptæ, non sunt aliquod suppositum. nec vnum; sed aliqua, & plura: ergo non accipitur *Deus* pro aliquo supposito vagè; sed pluribus: at pro pluribus non potest accipi, quia hæc esset falsa propositio, *Pater est Deus*: quia non est plura supposita: ergo.

§. 59. Dicunt *Deum* habere duas suppositiones; alteram indeterminatam, & vagam; alteram simplicem, seu communem. In prima significatione hæc est vera propositio, *Pater est Deus*: quia est aliquod suppositum deitatis: in secunda verò hæc est vera, *Tres personæ sunt Deus*: quia significatur suppositum Dei in communi. Contra: Vtraque suppositio est simplex: quia hæc significat res, vt subsunt secundis intentionibus: quales sunt indiuiduum vagum, & species. vel vtraque est personalis. Ne autem summulsticè agamus, suppositum vt sic accipi potest, vel pro aliquo vagè; vel collectiue pro omnibus; vel pro ratione communi: in significatione vaga, & collectiua, iam impugnaui doctrinam §. 58. Ratio autem communis non potest significari in ijs propositionibus, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt Deus*: quia *Deus* sibi non supponitur collectiue pro omnibus suppositis diuinis; vt in hac propositione, *Petrus & Antonius sunt homo*; non accipitur pro omnibus hominibus. item esset hæc falsa, *Pater, & Filius sunt Deus*: quia accipitur *Deus* pro omni supposito diuino. Nec dicitur, *Petrus & Antonius sunt homo*; sed *sunt homines*: quia *homo* est in singulari; *Petrus* autem & *Antonius* sunt de numero plurali: quia sunt duo: vt non dicimus, *Petrus & Antonius currit*, sed *currunt*.

§. 60. Tandem *Deus* est prædicatum absolutum, & commune vnum numero, & realiter commune, non verò per intellectum: ergo non significat in recto suppositum, sed solam naturam. Consequentia patet: quia suppositum Dei non est absolutum, sed relatiuum; nec commune realiter vnum tribus personis. rectum ergo prædicati & subiecti in hac propositione, *Deus est vnum absolutum*; supponuntur pro eodem: alioquin propositio esset falsa: vt & ipsi fatentur: sed absolutum est sola natura in recto: ergo & *Deus*. Primum antecedens patet: quia in singulis personis reperitur esse *Deum*, nec in esse Dei opponuntur: sed est eadem ratio Dei in omnibus. Quæ indicasse sit factis.